


Exercitatio Theologica De Jesu Christi In Deserto Cum Satana Congressu Et Reportata Ab Hoste Victoria ...


Tertia :

Tiguri: Typis Davidis Gessneri, MDCCX

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1677947268>

Band (Druck) Freier  Zugang





6

41

Fa - 1092 (41.)

2.

3.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.


16.

17.

18.

19.

20.



Sup. Matth. IV, 1-11.

EXERCITATIO THEOLOGICA

De

JESU CHRISTI
IN DESERTO CUM SA-
TANA CONGRESSU ET
REPORTATA AB HOSTE
VICTORIA,
TERTIA.

Quam

Favente & faciente Dei T. O. M. Gratiâ,

Amicæ συζητήσει subjicit

JOH. JACOBUS HOT-
TINGERUS,
SS. Theol. Profess.

Respondente,

JOH. JACOBO WOLPHIO V. D. M.

Assumente,

JOHANNĒ WERNLINO.

SS. Theol. Stud.

Postrid. Syn. Autumnal.

H. L. Q. S.

TIGURI,

Typis DAVIDIS GESSNERI.

Anno M D C C X,



I.

Geminum
Scripturæ
abuterium
arsificium,
ex Satana
Sophistica
aperitur.
A. Multa-
tio Scriptu-
ra.



Superiori Exercitatione, alterum, quem Tentator Christo intentavit, ictum lustravimus. Oleum operamque confidimus nobis non perituram, si animadverterimus, à Tentatore S. Scripturam obtorto collo in suum præsidium rapiente, geminum artificium adhibitum, quo nostri avi Gymnosophistis, nil frequentius: ne, quem isti Magistri sequantur, quemquam latere possit. Prius est, quòd Sophista ἀιολόβελος *vertiginosus*, Scripturam non bonâ fide, non integrè, adhibet: sed illa quæ perfidiam ejus aperire poterant, expungit. *Subticit malignus & fraudulentus, quòd malignitatis suæ commenta dissolveret.* Bernh. Ps. 90. Serm. 14. Ut hodièque sunt, qui, quæ Scriptura ipsis palàm adversantia tradit, in Liturgiis, Catechismis, aliisque libellis Symbolicis omittunt (exemplo sit Decalogi præceptum de Imaginibus): ne ex Scriptura redarguantur. Iidem eodem vel Magistrò vel consiliò, Scripturæ lectione populo Dei interdicut. Spiritus S. per Hieropsalten promiserat, (Angeli) *custodient te בכל דרכיך in omnibus viis tuis.* Id est, si viam regiam decurreris: quam nimirum Deus tibi definivit, & designavit, quæ Gen. 24: 48, *אמת דרך אמת via vera* dicitur. Hæc verba ὁ μνηστέρης perfidè distimulat & præterit. *Via* unius cujusque, sunt officia, ex lege divina & vocatione incumbentia, modis & mediis legitimis exercenda. At neque *pinnaculum*, neque *præcipitatio* de eo, viæ Christi fuerunt. *Non est via hæc sed ruina: Et si via est* (Bernhardus Satanam compellat, in Ps. 91.) *tua est, non illius: Frustra in tentationem capitis induxisti, quòd scriptum est ad consolationem corporis.* Permittit Deus Præsidium Angelicum, in malis quæ nobis insciis, aut invitis, in causa bona & necessaria contingere possent. Spiritus mendax hæc transfert ad mala sponte accessita. Non officii ratio, sed Tentato-

tato-

tatoris malitia, Christum in pinnaculum perduxit. In pinnaculo constituto, nulla necessitas incubuit, se deorsum dejiciendi. Nec in carnem venerat, ut levitatis exemplum nobis præferret aut peccatorum exerceret, sed quò Dei vias nobis commendaret. Eisdem gradibus descendere poterat, quibus ascenderat. *Loricæ* templum exornantis, usus non erat, se de illa dejicere, sed potiùs munire, ne quis delaberetur, & ut qui necessitate tectum conscendit, tutò illic consistere posset. Neque Deus Angelis provinciam imposuit, nos in periculis observandi, quò Dei providentiâ periculis restricti, in gravius periculum nos conjiceremus: sed ut in periculis Dei providentiâ immisissis, Deo fideremus. Porrò Satanas quæ Deus conjunxit, *promissum à præcepto* Dei, divellit: *promissionem conditioni* annexam, in *absolutam* convertit. Christo persuasurus, si vel invito Deo, se in mortem projiciat, Angelos vitam ejus defensuros. *Si periculum quantum cavere poterat, non caveret, magis tentaret Deum, quàm speraret in Deo.* Augustin. de C. D. XVI. 19. Deus promissione illâ vult cavere, ne impingant pii in viis suis: At Satanas eâ abutitur, quò Christum impingere faciat.

II. *Alterum* est, quòd figuratas dictiones in proprias, proprias in figuratas convertunt. Quæ Deus de Angelorum *manibus*: eorum *gestatione*, *lapidibus*, pedibus ad eos *offendentibus*, dixit, procul dubio non magis κατὰ λέξιν intelligenda, quàm cum Deus dicitur populum ex Ægypto exeuntem, *alis aquilarum gestasse*. Exod. 19: 4. Angelos *manibus* carere, quis nescit? Quis dubitat, eosdem nobis ministrare, non tantùm per vias lapidibus stratas incedentibus, aut manibus nos gestando, &c. Hæc tamen Sophista infernalis, omnia secundùm literam intelligenda, Christo persuadere vult. Eâdem *μυθοειᾶ* erroneas veritatem ex Scriptura impugnant: eam malâ fraude adhibent, & *in propriam perniciem* *σεβλῆσι* detorquent 2. Petr. 3: 16. Sunt quidem multæ eorum corruptelæ. Ut plurimùm tamen geminam hanc artem exercent, ad quam communis eorum Doctòr, cum Christo congressus, facem præfert. Quantum verò mali, ex utroque hoc fonte in Ecclesiam exundârit, neminem fugere potest.

b figuratas locutiones in proprias convertit.

*Vana Sata-
nae de præsi-
dio Angelo-
rum dictata.*

III. Scripturarum ille æruscator, tertium addit errorem : promissionem de præsidio Angelorum, nobis tam suavi tamque necessario, vanis inanibusque multis conceptibus obscurans. Quò videlicet genuino eorum & utili præsidio nos exuat & privet. Ex multis hoc commemoro, quòd Michaëlis, Gabrielis, aliorumque Angelorum : Sanctorum etiam quorundam hominum, inprimis *θεοτόκου* Mariæ, Josephi, &c. nominibus, reliquiis, &c. in amuletis, periaptis, &c. abutitur, Ne quidem sanctissimo Dei Triunius nomini parcat. His superstitiosi, probè munitos se putant, quicquid vel ipsi sceleris audeant, vel injuriæ, violentiæ, mali, ubicunque & à quocunque patiantur. Sed neque Deus neque Angeli boni, nisi *in viis nostris*, nisi in consiliis, conatibusve quibus Deus gloriosus redditur, quæ fide verâ suscipiuntur, quibus nostra & proximi salus promovetur, nobis præstò sunt. Cæterum amuleta ejusmodi non tantum nulla subsidia, sed tristissima gratiæ & salutis impedimenta & dispendia sunt.

*Scripturæ
corruptores,
collatione
Scripturæ,
in apricum
producuntur.*

IV. Quid ad ista Jesus? *Dixit ei (Satanæ) : Rursus γέγραπται scriptum (εἰρηται dictum Luc. 4: 12.) est : Non tentabis Dominum Deum Tuum. Matth. 4: 7.* Rursus, *πάλιν*, quod Judice Schmidio, æquipollet τῷ ἀνάπαλιν, *vicissim: ἐνδετικόν non ἀντιδετικόν.* Etenim Christus Scripturam non opponit Scripturæ : Sed eam exponit. Mutilatis verbis, integra : detortis, genuinam Spiritûs S. mentem præferens, Satanæ impietatem prodit. Enimverò disertum Scripturæ testimonium ei objiciens, palam reddit, adversarium Scripturæ vim intulisse : cum Scriptura se ipsam non destruat. Cum ergo verum sit, quod Christus ex ea adducit : necessum est falsum & malum esse, quod Satanæ ex eadem Christo persuadere voluit. Qui enim Scripturæ, ut pueri nolis, sonum & sensum quem libet affingunt, nihil dicunt, chimærasque suas & fatus subventaneos tueri nequeunt. Sanè ex Christi responso liquet, hostium veritatis Scripturâ abutentium impudentiâ & importunitate, neque autoritatem Scripturæ deleri, neque populum Dei, ut arma illa vel suspecta habeat, vel abiciat, induci debere. Si cum Scripturæ corruptoribus res sit, injuria Scripturæ facta, non novâ injuriâ, i. e. non Scripturæ fastidio, sed ejus scrutinio sedulo, ulciscenda. Cum enim Scripturam producant, non amore ejus, & veritatis studio, sed ut glaucoma incautis objiciant : neque eam quâ oportebat religione pertractant. Eam non, ut Docto-

rem

rem μαθητευθέντα *eruditum in regnum cœlorum* Matth. 13: 52. decet, δεδοτομῶσι, 2. Tim. 2: 15. sed lacerant: invitam, obtortoque collo in partes trahunt, eorumq; perfidia primo intuitu pellucet. Porro Christi exemplum docet, levitatem corruptorum Scripturæ deprehendendi & manifestam reddendi, rationem expeditissimam esse, συμβίβασιν, locorum aliorum *collationem*. Cùm enim ostendi potest, id quod ex Scriptura ab iis propugnatur, cum alio Scripturæ loco adversâ fronte concurrere, ulteriore responso opus non est. Quod enim animadversione omnino dignum, Christus non ferram cum Satana reciprocatur de vèro sensu Hieropsaltæ, ut fallaciarum & ερεβλώσεων Scripturæ, quod nullo negotio poterat, eum convincat: sed cùm Satanæ postulatum manifesta tentatio Dei fuerit, satis Christo est, impudenti adversario verbum Scripturæ, quo quâvis Dei tentatione interdicitur, objecisse. Unde prono alveo sequebatur, sanctos Angelos ipsi, si, Satanæ hortatui obsecutus, se dejiceret, non opitulaturos. Quia Deus gloriam ei non dantibus obsequio, non potest patrocinari, eos amare, eorumve conatus fovere. Est igitur hæc Scripturæ regula Hermeneutica facilè prima, illam genuinam Scripturæ sententiam esse, quæ perpetuæ S. literarum sententiæ consentanea est. Cùm enim univèrsa scriptura divinitus inspirata sit, eam (quia Deus ἀψευδής *mentiri* Tit. 1: 2. *seve ipsum abnegare* 2. Tim. 2: 13. nequit,) in omnibus partibus, membris, verbis veram esse par est. Quisquis autem vel se ipsum destruit, negando quod olim affirmavit: vel sibi ipsi contradicit: eandem rem veram & falsam, i. e. esse & non esse contendit: is est διψυχος: ejus verbum est ναὶ καὶ οὐ: is simul flat & forbet, simul frigidam & calidam fundit: in alterutra sententia mentitur. Itaque quæcunque cum aliquo Scripturæ apice pugnant, falsa sint necesse est. Cùmque *nullum mendacium sit ex veritate*, 1. Joh. 2: 21. quicquid vel Scriptura dicit: vel ex Scriptura dicitur, constantis & æternæ veritatis est.

V. Præterquam verò, quòd Christus miracula fecit, non gesti-
 culatoria, ad ostentationem, sed utilia: nec cum periculo conjun-
 cta, sed ex periculis asserentia, ostendit dictamen Satanæ cum vo-
 luntate Dei pugnare: ut meminimus, si Scriptura alii abutantur,
 non aliunde nisi ex Scriptura arma nobis petenda, quibus eis occur-
 ramus, *Scriptum est*, inquit apud Mathæum: apud Lucam, *dictum*
 est:

est; ut *ad dicere & scribere æquipolleant*. Quia Scriptura, *verbum Dei*: & quia Deus per Scripturam nos *alloquitur*. Consulentibus eum in Scriptura, *respondet*. Neque aded Scriptura, vel *muta* vel *litera mortua*, sine blasphemia nuncupari potest. *Quid scriptum? Non tentabis Dominum Deum tuum*, Deut. 6: 6. Verba Dei sunt ad Israelem, adeoque *pluraliter* à Mose pronuntiata, **אל תנסו את יהוה אלהיכם** non tentabitis Dominum Deum vestrum. At uterque Evangelista, cum LXX. *singulariter*: *Non tentabis*. Quia, quæ Moyses Israelitis communiter dictavit, singulis seorsim dicta sunt: etiam invisibilibus creaturis: etiam Filio Dei, post nativitatem ex muliere, legi obnoxio factò, Gal. 4: 4. Nimirum Satanæ & Christo, ut Patrem suum tentaret autor est: & ipse Christum, *benedictum Deum super omnia in secula* Rom. 9: 5. tentavit. Christus regerit, se, ne quod Satan ei suggererat, faceret, tum sanctâ voluntate, tum lege detineri: Satanæ autem factum lege damnari. Nec tuum est me: nec meum est Patrem tentare. Eadem operâ se Deum, & Tentatoris Dominum supremum declarat. Itafcil. (quod etiam *dissert. II. § 22.* monuimus) *scriptum* est, non tantum quod *αυτολεξει* in Scriptura legitur, sed etiam quod à gnavo lectore *ἐπιγινώσκεται*, necessariò *intelligitur*, 2. Cor. 1: 13. & *νουνεχώς* ex Scriptura colligitur. Quicquid in virtute vocabuli aut *φεισίσεως* latet, quod lex suâ latitudine (*כרחב* Psalm. 119: 96.) complectitur, & sine quo plenâ *ἐμφάσει* destituitur, id ipsum Deus intendisse dicendus est: neque aded quod ita ex Scriptura infertur & colligitur, minus est Dei verbum, atque quod *scriptum*. Tum quæ Scriptura *omnibus* dicit, *singulis* dicit. In præceptis, omnes populi sui cives alloquitur: in promissis, omnes credentes. Neget perjurus ad se pertinere judicia, quæ Deus universis perfidis in S. Literis comminatur, & in multos exercuisse legitur? Quid ergo impedit, ne credentes singuli promissiones sibi sigillatim applicent, quibus Deus illos erigit, qui Evangelium *ὑποταγῆ τῆς ὁμολογίας* 2. Cor. 9: 13. recipiunt. *Ἐκπειράσεις*. Si *ἀνέχῃ* particula *ἐν* observes, sonabit, *non pertentabis*. Adde quòd *Futurum*, habet significationem *imperativi*, *noli* tentare: expressione in *negativis* præceptis, nonnunquam etiam in *affirmativis* frequentatâ.

VI. Porro tentare Deum, juxta Chemnitium, significat, sine ^{Deus non} verbo fidei & sine vocatione, prateritis mediis divinitus institutis & con- ^{tentandus.} cessis, extra casum necessitatis, temerè aliquid aggredi, vel auxilium expectare, ex præsumptione de absoluta omnipotentia, & omnipotente Deo. Ut plenius dicam: tentantur ea quorum vel bonitas vel constantia, planè ignota, vel saltem suspecta est, adeoque verbis factisve in dubium vocatur. Deus ἀπείρατος in se, imò & à se ipso, ab æterno & in æternum bonus, & sibi semper similis Mal. 3: 6. Jac. 1: 17. est: hancque bonitatem, multis & illustrissimis modis demonstravit. Quàm impossibile est Deum non existere, tam impossibile est eum vel desinere esse bonum: Quia omnis mutatio essentiam & existentiam ortam, finitam, divisibilem, & dependentem involvit: quæ omnia longissimè à Deo absunt. Veleiam creaturæ ad imaginem suam conditæ ἀμύπτως se relinquere, nullum bonitatis suæ testimonium ei exhibere. Secus de Deo opinantur, qui eum tentant. Quia experiri volunt, an talis sit quem se in verbo manifestat, quem se operibus ordinariis & extraordinariis, in primis in Ecclesia demonstrat, quem etiam se suis semper mansurum promisit: adeoque eum quem in omnibus actionibus, consiliis, cogitationibus, glorificare debebant, atrociter blasphemant. Itaque Christus, Deum, inquit, non tentabis. Scopus ejus est docere, promissiones divinas de providentia & cura ejus in periculis &c. sub lege & conditione observati præcepti divini, esse intelligendas: & Dei auxilium illos demum sibi promittere posse, qui se ei regendos committunt in solidum. Promissiones enim ejus, non alios concernunt, quàm Deo morigeros.

VII. Equidem Mal. 3: 12. ipse Deus ad populum suum: *Afferte* ^{Tentatio} *totas decimas in domum Thesauri, ut sit cibus in domo mea* וּבְחֹנֵי נַח ^{Dei aliqua} *& explore me, periculum de me sumite, agite, in hoc: dixit* ^{est sancta.} *Jehova Deus exercituum: si non aperiã vobis cancellos, cataractas, fenestras cœli, & effundam vobis benedictionem, ultra id quod sufficit. Ut aliqua Dei exploratio sit sancta, Deo quidem gloriosa & accepta, homini autem utilis: quia ex fide profecta, & cum studio gloriæ Dei conjuncta. Cùm nimirum Deo certa officia postulanti, ὁμολογῶμεν, aspulamur, simulque humile obsequium præstamus: certâ fiduciâ freti, quòd actus illi nostri ad Dei gloriam conferant, indeque Deus occasionem captaturus sit, bonitatem, liberalitatẽque suam manifestandi:*

standi: seque adeò gloriosum reddendi. Nam Deus, qui *non injustus est ut obliviscatur boni operis* Hebr. 6: 10. 1. Cor. 15: 8. ita bonus est, ut ejusdem remunerator esse velit, Hebr. 11: 6. Denique *δυνατός, potens, & πιστός* fidus est, qui quod promisit præstare possit & velit. Rom. 4: 21. 1. Thess. 5: 24. Hujus rei periculum facere, adeoque Deum *explorare* dicuntur, quicunque ad officia illa alacriter se accingunt, & stadium hoc semel ingressi, gnaviter decurrunt: magno suo bono, Deum talem experturi, qualem se in verbo suo declaravit. Hujusmodi est illud Gedeonis, *אנסה*, experiar, Jud. 6: 39. Ad idem excitati Ezechias, Jes. 38: 7. ejusque Parens, Achasus, Esaj. 7: 11. *Ille* promptus morem gessit: *iste* renuit: causatus, se nolle tentare Deum, Deum hac tergiversatione revera tentans: ut qui gratiam Dei fastidièrit, & promissionis Dei fidem fieri noluerit. Et ille qui injussu Dei aliquid facit (vid. Actor 15: 10.), & qui à Deo iussa omittit, tentat Deum. Quia uterque periculum facit, an Deus auctoritatem & jus suum asserere, & tueri velit, valeatque. Pariter tentatio aliqua *proximi* legitima, charitatem non extinguens, sed demonstrans & incendens. Ut cum Præceptor periculum facit, num Auditor à se tradita affecutus sit. Ita Regina Sabæ Hierosolimam *venit*, *לנסות* ad tentandum Salomonem *בדבריה* enigmatibus. Profundæ mentis Heroïna, Solomonem de rebus reconditis interrogans, ex sapientissimis ejus responsis, de dono sapientiæ ei liberali manu dato, convicta fuit. Denique fideles *ἐαυτοὺς πειροῦν* se ipsos tentare, 2. Cor. 13: 5. jubentur. Qui enim fidem exercet, i. e. qui opus facit, quod fides suadet, & fidem ostendit, fidem suam experitur.

Alia impia
est.

VIII. Est etiam tentatio Dei *scelesta*, & in Deum contumeliosa, ab animo incredulo profecta: quâ quis fidem Dei in dubium vocat: deque verbi, virtutis, facti divini certitudine aut evidentia, quæ aliunde perspecta esse deberet, ambigit, nisi novo aliquo experimento confirmetur: atque adeò Dei gloriam à nutu & arbitrio suo suspendit. Porrò Tentatio ista tum *diffidentia* tum *confidentia* nimia patrat. Hoc utrumque extremum est, in quod Satan præcipitare volebat Christum. Suadebat ei primùm *diffidentiam*. Sive enim Christus uni, sive pluribus lapidibus dixisset, ut panis fierent, corde suo à Deo recessisset: & fiduciam, quod Deus ei de necessariis ad vitam prospecturus sit, abjecisset. Frequens ad hunc lapidem impetit Israel in deserto.

to.

to, Exod. 17:7. & pass. Hebr. 3: 8. sqq. *Israel post Manna* (ut Tertulianus loquitur) *escatitem pluviam, post Petrae aquatitem sequelam, desperans de Domino, tridui sitim non ferendo* &c. Pariter Deum dissidentia tentat, quisquis in rebus arctis (contra Dei consilium Jof. 28: 16.) *festinat*: præceps, carnis dictamen sequitur, & quia putat, legitimis, cum consilio Dei & cum æquitate consentientibus mediis, sibi consulti non posse, ad opera aut media Dei lege damnata, & charitati infesta se convertit. Vid. 1. Sam. 13: 9. 10. Deinde, Satanas Christum ad *præfidentiam*, (Grotius *confidentiam Prædestinationis* nuncupat) inducere machinatus est. Nimirum Satan voluisset, ut Christus se de pinna Templi projiceret: experimentum sumturus, an Deus eam quæ par erat, Filii rationem habiturus, & *Angelis suis mandaturus* esset, *ut eum manibus gestarent, ne pedem ad lapidem allideret*. Christus Angelis nullam in id operam conferentibus, non minùs poterat se absque læsione, in subjectam vallem præcipitare, quàm absque mersione in fluctibus maris ambulabat. Poterat, Patrem suum *παροικεσαι*, *obsecrare*, qui ipsi Angelos plures misisset, eum manibus vel gestaturos, vel excepturos, Matth. 26: 53. Sed cum nullum acceperit mandatum se deijciendi, noluit, se sponte præcipitem dando, Patris pro se curam experiri. Psalmi verba, hanc fiduciam ei ingenerare non poterant. Quia præsidium Angelorum illis demum promittitur, qui *in viis suis* ambulant. At de tam sublimi loco, in profundum se abjicere, non erant Christi *via*. Si ergo aures præbuisset Satana, non fiducia in promissionem Patris, qua destituebatur: sed *tentatio Dei* fuisset. Si autem Deus non tentandus, Angelorum præsidio gavisurus non erat. *Perinde faciunt qui præteritis mediis quæ Deus commendat, potentiam ejus & robur volunt experiri, ac si quis homini abscinderet brachia & manus, & postea juberet eum operari*, Calvinus scitè monet. Nec minùs liquidum, Petauristas aliòsque *προσωποδύτες*, non à providentiâ Dei aut Angelorum præsidio, sed Tentatoris protervia, fiduciam animòsque concipere.

IX. Quum Deum, hac etiam ratione tentare, tam indignum *Id uberiùs confirmatur.* tamque contumeliosum facinus sit, rationes quæ omnes creaturas, imprimis Filium Dei, denique populum Dei & qui de eo sunt, à tentando Deum, freno veluti injecto retrahere, imò absterrere debeant, in promptu sunt. Lex disertè: *Non tentabis Dominum Deum tuum*. In-geminatur idem Præceptum, 1. Cor. 10: 9. Hebr. 3: 8. addita ratione

B

memo-

memorabili, v. 10. ex Ps. 95: 7. sqq. quòd Deus hujusmodi Tentatoribus *θεσσαλιζες* *inensus sit*: adeò nimirum, ut *jurarit* eos *quietem Dei non ingressuros*. Non tantùm carituros patriâ *terrestri*, ut illi *Israelitæ*, ob Deum tentatum in *deserto prostrati*: quibus ista evenerunt ut *τῶποις exemplaribus* nostris: unde ea ad *nostram* *υπεσίαν* *cautionem scripta* I. Cor. 10: 11. sed excludendi porrò erant patriâ *cælesti*. Siquidem Tentatores *Apostata* sint à *Deo vivo*, Hebr. 3: 10. 12. Itaque S. Apostolus Corinthios l. c. v. 22. ita aggreditur: *An ad Zelum provocabimus Dominum? Numquid fortiores illo sumus?* Sed præter legem, Deum tentare prohibentem, & præter infelicè eum tentantium exitum, peccati atrocitatem inde discere licet, quòd qui tentatione læditur & luditur, *יהוה Dominus Deus tuus* est. Quod etiam Christo Sponsori dictum esse, vel inde constat, quòd *Jes. 42: 1. & pass. servus Dei* dicitur: ipsèque Deum non tantùm *Patrem*, sed & *Deum suum* compellat, *Matth. 27: 46. Joh. 20: 17.* cujus rationem h. I. reddere super sedemus. Est ergo Deus *Jehova*, cujus propositum & verbum gratiæ, æquè immutabile est, ac essentia. Idem est *Deus tuus*, & qui juramento interposito tibi benedicere, i. e. omnipotens brachium, inexhaustas divitias, & *πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος* quicquid virtutis in se complectitur, tuæ salutis causâ adhibere & profunderè in se recepit, totque documentis probavit. Unde Augustinus *de Ver. Relig. c. 38. Non opus est ad cognoscendum Deum, tentationibus, visibiliter divina explorare molientibus.* A cujus vicissim nutu pendere, & ad cujus verbum tanquam amussim, mores componere te promptum fore, sacramento te obstrinxisti: cùjus denique gloria, suprema omnium ejus domesticorum lex esse debet. Cùm Deus *αυτοδέσποτος* & *αυτεξούσιος* sit, qui Deum tentant, eum finibus certis circumscribunt (ut *Israelitæ* *יהוה limites ei constituere* Ps. 78. 41.) ut hoc vel illo modo potentiam, veritatem, præsentiam, divinitatem suam demonstret. Videlicet, ut incredulitatis & inobedientiæ suæ culpam, sacrilegè in Deum transferant. Unde *Deum tentare* & *inobedientem esse* conjunguntur, Ps. 78: 56. & *Massa* ac *Meriba*, unius ejusdemque loci nomina sunt. Qui Deum *tentat*, cum Deo suo *contendit*, litem ei intemat, quasi imperium minùs æquè, ac sapienter administret. Ut nec sine maxima prævaricatione, nec sine certissima, gravissimâque ultione Deus tentari possit.

X. Ter-

X. Tertiat Satan certamen. Si crebriores Satanæ pugni in te, *Tertius*
 si tentatio tentationem ut fluctus fluctum excipit, non nimium tibi *conflictus.*
 sudandum. Nec si alios mala hæc premant, temerè adversus eos pro-
 nunciandum. Matth. 4: 8. 9. Rursum παραλαμβάνει, assumit (ἀναγα-
 γών cum subduxisset Luc. 4: 5.) eum Diabolus in montem (Matthæus addit,
 valde) sublimē, & ostendit ei omnia regna τῆ κόσμου Mundi, & gloriam eorū.
 Omnia regna τῆς οὐραμένης ἐν στιγμή χρόνου puncto temporis, Luc. 4: 5.
 Dixitque ei (Diabolus Luc. 4: 6.): Hæc omnia tibi dabo (dabo tibi ἐξου-
 σίαν ταύτην ἀπάσαι καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν, potestatem hanc universam, &
 gloriam illorum regnorum. Nam mihi tradita est, & cui voluero do-
 eam. Luc. 4: 6.) si prostratus adoraveris me. Nec aliter Luc. 4: 7. Ita-
 que si adoraveris me, erunt tua omnia. Tum præparationem: tum ten-
 tationis modum hic considerare lubet. Præparatio, deductione ad locum,
 à superioribus diversum constituitur.

XI, Palæstra prima fuit desertum: altera, Templi pinna: πο- *In monte*
 frema, mons sublimis valde. Πάλιν h. l. iterationem notat. Παραλαμ- *sublimis.*
 βάνει, ἀνάγει, non vi corpori ejus illatâ: sed Christus Satanam viæ
 duce fecutus, vel comitatus. In montem eumque sublimem valde,
 & quidem locum scenæ à Satana adornatæ, ejus fiduciâ, fortassis oportu-
 niosem futurum, quàm superiora loca: ut Balak Bileamum, quum is
 in uno colle Israeli maledicere non posset, in alterum deduxit, confi-
 sus consilium suum malum illic felicibus processurum. Ezechieli in
 monte מֶדֶד גְבוּהָ valde sublimi ostensum Templum extruendum: sed
 הַיְהוָה אֱלֹהֵי בְרִאשִׁית in visionibus Dei, Ezech. 40: 2. Johannes delatus ἐπ'
 ὄρεος μέγα καὶ ὑψηλόν in montem magnum & sublimem, vidit sanctam
 Hierosolimam cœlitus & de Deo descendentem. Sed pariter ἐν πνεύματι,
 in Spiritu Dei. Apoc. 21: 10. Ecstasin in præsentī historia locum non
 habuisse dissert. I. § 30. & II. 2. monuimus. Fuit ergo visio oculis cor-
 poreis peracta, qualis Mosis in Pisga, cacumine montis Nebo, ex quo
 Deus ei fines terræ Canaan ostendit, Deuter. 34: 1. sqq. Montem in
 quem Christus à Satana deductus, quia Spiritus S latere nos voluit,
 nullo labore detegemus. Ut eum definire temerarium, inquirere
 curiosum sit. Siquidem Christus, finitâ tentatione, trans Jordanem,
 provinciam Doctōris inierit, mons hic Clariss. Ligifoto, trans Jorda-
 nem, versùs Orientem situs fuisse videtur. Montacutii aliorumque
 conjecturas ab eo notatas, sicco transimus pede. Ut Hierosolyma
 mon-

montibus undique cineta fuit, ita aliquos ex illis & præ aliis quidem altos fuisse haud improbabile. Patres eum nuncupant *superbiam*, quam hominibus inspirare, indeque avaritiam in eis accendere, Satan solet. Sed monsiſte animo, non corpore conſcenditur: & Chriſtus in eum quidem à Satana invitatus, non tamen perductus eſt: ut Allegoriæ hujus, in Hiſtorica explicatione & hiſtorici ſenſûs investigatione occupatis, uſus non ſit.

De Mundo
& gloria
ejus, Chriſto
à Satana
oſtenſis,
Ligtſotiſen-
ſentia.

XII. Tentatione ipſâ, Satanas & oculis & auribus Chriſti inſidiatuſ eſt, eique tum *factis* tum *verbis* moleſtus fuit. Regna mundi, eorumque gloriam Chriſto, in monte ſublîmi, primò *oſtendens*, deinde etiam *promittens*. Singula ordine conſideraturi, præmittimus *objectum*. Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu? *κόσμος, πᾶσα ὀικουμένη* dictus Lucæ 2: 1. quo nomine l. c. imperium Romanum, Auguſto obnoxium venit. Cicero de Rep. l. 2. *Romanos totum orbem poſſeſſiſſe*: Nec non Paterculus, Tiberio (ſucceſſore Auguſti) imperante: *Numina, Romani Imperii molem, in ampliffimum terrarum orbis faſtigi-um contuliſſe*, crepabant. Porro, intelligit Satanas, *regna ſibi data*: ſi- bique poteſtatem arrogat, eadem alteri *tradendi*. Thronum autem ſuum Romæ erecturus: ſingularémque adeò in Imperio Romano, tanquam hæreditate ſua poteſtatem, non quidem immediatam, ſed pseudo vicariam, poſt Chriſtum natum, exerciturus erat, Apoc. 13: 2. Hinc conficit Clariff. Ligtſotus, *regnorum mundi & orbis*, Chriſto à Satana promiſſorum nomine, non univerſum hoc quod Soli ſubjacet, ſed Romanum Imperium indigetari: tum quòd univerſus orbis ab eo condito, unicum herum nunquam agnoverit, & ad finem rerum, nunquam agniturus ſit: tum quòd nec illo tempore, neque ab illa ætate, aliud Regnum tam glorioſum fuerit, totiuſque mundi regna poſſidere jaçtaverit (Ut olim Babel Eſr. 1: 2.) præter Romanum Imperium, cujus poteſtas, fines, pompa, autoritas, reditus, ſine ſtupore legi nequeant. Hinc Viro Doctiſſimo vero admodum ſimile, hoc ipſum imperium, in quod Satan poteſtatem ſingularem ſibi arrogârit; de quo confiderit, ſe poteſtate ejus non exuendum: quod ſemini ſerpenti ſingulari, Anti-Chriſto (qui cultum Serpenti præſtiturus, ejusque regnum promoturus eſſet) aliquando ceſſurum, ſpe præconcepit, *Mundi* nomine innui. A Viri Celeb. ſcopo haud abſonum fuerit commemorare, Imperio Rom. civili jam dilacerato, Eccleſiâ viciffim Romanâ ſuperbo

perbo pede reliquis insultante, Fridericum II. Ludovicum IV. Carolum IV. numis inscribi voluisse: *Roma caput Mundi regit orbis frena rotundi*: ut fidem facit Cl. Heineccius *Syntagm. de Sigill. p. 107. sqq.* Ex his laudatus Lighthotus multa conficit, seriâ meditatione digna. Nimirum cùm jam & Christi, & oppositum Anti Christi regnum, auspicandum fuerit, caputque Serpentis vacillare cæperit, Ligthfoti quidem sententiâ, Satanâ, quò ictum hunc præveniret, Christo obtulit τὴν ὀμοιωμένην, cujus potestas judicio Dei ipsi concessa fuerat. Singulare mulieris Semen, in singulare Serpentis semen conversurus: hæredemque suum in regia sua collocaturus erat. Id cùm Christus abnueret, Satanam, qui omnem Romanam pompam ostentarat, Anti Christum in lucem protrulisse, Romæ: perpetuum, irreconciliabilemque Christi adversarium, futurum: jactantem tamen, se ab ipso Christo eam potestatem accepisse, quam Christus neque gessit, neque gerere voluit. Cùmque Vicarius Satanæ sit, vicariatûs Christi prætextu, regnum Christi ferro & flammâ persequi. Num solida hæc sint, ut acuta sunt, & demorsos ungues sapiunt, pio & prudenti Lectori ponderandum relinquimus.

XIII. Nobis res altiùs repetenda videtur. Deus in æterno consilio, hominum genus in duo regna distinxit: in quorum altero gratiam, in altero, iram exerciturus esset. *Illius* caput, Filius Dei unigenitus: *Hujus*, perduellis Deo, Diabolus, Satan, caput futurus erat. Unde ille, *Rex Regum, Dominus Dominantium, Princeps exercitûs Jehovæ*: iste ὁ ἄρχων τῆς κόσμου τούτου, *princeps mundi hujus*, Joh. 12: 31. 14: 30. 16: 11. cognominantur. *Princeps* inquam, ut Caput seditiosorum, eorundem Rex aut princeps dicitur: *Mundi*, non aspectabilis hujus, de quo mendax loquebatur, & quem Christo monstrabat: sed illius, ex quo Christus aliquos elegit, quem Deus in viis suis ambulare permisit, & qui in peccatis suis cubat & squalet. 1. Joh. 5: 19. Non societates civiles, sed cœtus religiosi, qualibus Satan, extra Judæam hæctenus, per reliquum mundum numerosissimis & frequentissimis præfuit, ab eis pro numine cultus. Utrique hæreditas assignata: Filio Dei, *sines terra*. Pl. 2: 8. Satanæ, *pulvis terræ* Jes. 65: 25. *Illi*, in hac quidem vita, *πρωταγαθά τῆς κόσμου, πάντων ἀρχήματα* 1. Cor. 4: 13. Ceterum flos creaturarum, Dei Deliciæ: *Huic*, fæces & sentina hominum, qui utut se magnificè in mundo jactant, olim tamen bonis execrationi

ni & abominationi, sibi ipsis oneri futuri sunt. Illi, *omne genu se flexurum*, Phil. 2: 10. quia omnibus imperaturus: aliis ut subditis, aliis ut debellator & triumphator. Iste Principis titulum sibi arrogaturus, infelicissimam tamen servitute[m] serviturus, nec Principis dignitate fruitorus, sed licitoris & carnificis partes exerciturus. Hinc Satanus impudentissimæ tentationis argumentum rapit. Hæreditatem suam Christus certo certius aditurus erat: sed postquam Serpens calcaneum ejus momordisset, ipse vicissim caput Serpentis contrivisset. Horret Satanæ animus ad hæc, & malorum tantorum meminisse refugit. Hinc ostentat Christo pacem, sed insidiosam: eum circumventurus. Promittit ei, se calcaneo ejus parciturus: quin eos, in quos potestatem à Deo accepisset, *Mundum*, (per quem nimirum infelix, scelestus, infau-
sta, infamis hæreditas ejus sparsa esset) ei subicere separatim. Sunt quorum judicio, Satan Christo commemoravit promissionem *de finibus terræ*, ei in possessionem dandis. Pf. 2: 8. Secundum hos, idem spiritus malus, se jam diribitorem promissionis ejus sistit.

Consilium
Satanæ.

XIV. Quicquid sit, Christo offert vastissimam hæreditatem, quæ sibi concessa esset. An Christum ditaturus? Imò verò, eum à pacto Patris avocaturus, de hæreditate maxima ei promissa dejecturus, inque suam potestatem redacturus. Ut homines, quos in Protoplastis, & imagine Dei, & omnium rerum Domino exuerat: jam in Filio Dei humanam naturam assumere dignato, lapsosque restituere parato, de spe suâ deiceret, eisque unicam post naufragium tabulam eriperet. Verbo: ut Filium Dei, imaginem Dei invisibilis, *hæredemque omnium* Hebr. 1: 2. in humana natura, cum hæreditate sua, ad tristem, quâ ipse utebatur, sortem detruderet: Patris cum Filio consilium irritaturus: Filium Dei dilectum, Patri rebellem facturus: Mysterium illud magnum nostræ redemptionis, everurus: cælum inferis misturus. Hinc illæ lacrimæ! Quia ei ut Theophylactus eleganter, ἀθέλητον ἦν, τὸ παθεῖν τὸν χειρὸν, *invisum fuit ut Christus pateretur*. Cæterum *regna Mundi* (Mundi inquam, qui exterius aureus, intus luteus), eorumque gloriam, frequens, & tantum non quotidianum, quo Satan homines tentet, illicium existere, nostrâ probatione non indiget. Neque illud artificium Satanæ dissimulandum, quòd gloriam, pompam, delicias regnorum mundi ostendit, non eorum onera, lau-

laqueos, ulcera, ignes sub cinere doloso sepultos &c. Vultum non tergum. Vid. § 16.

XV. Josephô judice, ex turri Hierosolymitana Psephina, ple-^{Quomodo}raque terra Canaan prospici potuit. At Satanas Christum in sublimem ^{offensio illa}montem deducit, univêrsa *Mundi regna* ei ostensus. Sive regna ^{facta?}illa Mundi *eorúmque gloria* fuerit, quorum potestatem Satan acceperat: sive omnia absque exceptione: sive regnum ejus mysticum, per universum orbem dispersum: sive pars ejus fuerint, Anti-Christo Antesignano, in Romano imperio collecta. Nec oculus tamen est ita lynceus, nec mons adè fastigiatus, ut inde vel unicum ex nobilioribus, nedum omnia illa regna, cum *gloria* sua, prospectari queant. Ut hoc etiam nomine haud necesse sit, ut per montem valde sublimem, mons omnium toto orbe maximè sublimis (qui à nonnullis Teneriffa Canariorum constituitur, de quo Clariss. Becman Geogr. I. 7: 11.) intelligatur. Nec tam de monte, quàm de modo, quo hæc *regna*, eorúmque *gloria* videri potuerint, disquiritur. Non omnia regna, uno aspectus humani horizonte clauduntur. Quid quòd nec ipse Sol, vastus ille Mundi oculus, quo altissimi quique montes longè inferiores sunt, unâ horâ, nedum uno momento, totum hunc orbem intuetur. Multò minùs regnorum, vel etiam illustrioris alicujus *gloriam*, eminèns, imò ne quidem cominus oculis corporeis pervidere datur. Minimè ἐν σιγμαῖ χροῖα, in puncto, i. e. minima illa parte *temporis*, quæ 1. Cor. 15: 52. ἀτομος, ἡμῆ ὀφθαλμῶ, *nidius temporis*, vulgò *momentum* dicitur, qui temporis status velut imperceptibilis est. Inficeti Rabbinii §8888. partem horæ esse nugantur. Fateor non omnem rem difficultate carere: quam plerique objiciunt, quibus hæc tentatio, phantasiæ Christi objecta videtur. Est tamen fortassis, quod æquis rerum æstimatoribus, de σιγμαῖ satisfacere queat: saltem minoribus difficultatibus laborare videtur, quàm imaginarium Christi cum Satana certamen. Equidem, neque necessum est, τὸ ἐν σιγμαῖ, cum verbo ἀνάγειν conjungi. Nec cum Origene, ad ostensionem regnorum spiritualium peccati, & de hominibus in quos regnat per vitia, confugere opus est. Nec hyperbolen hîc agnoscimus, sed synecdochen potius: ut Satan omnia regna, i. e. magnam eorùm partem Christo ostenderit: vel regna omnia, i. e. collimitanea, viciniora, ut 2. Chron. 30: 29. *כל ממלכות הארצות omnia regna terrarum* terrore Josaphati correp-

correpta dicuntur. Conf. Dan. 4: 22. Et quidem hæc propiora; quippe oculis subiecta, digito fortassis distinxit. Porro quod non tantum regna, sed etiam eorum *gloria* monstrata memoratur, atque hoc *ἐν στυμῇ* factum dicitur, suspensionem movet, Satanam non gloriam, i. e. gazas in visceribus terræ aut maris latentes; sed oculis & sensibus expositas, speciosam inquam figuram, & quidem in *ἰχθυογενεσίᾳ* quadam, oculis Christi objecisse: quæ ut Geographorum Tabulæ, non tantum nomina, sed etiam situm, limites, fluvios, montes, planities, quid si etiam divitias &c.? regnorum, inprimis remotiorum, exhibuerit: quasi vanissimus thrafo, Deum Mosi typum tabernaculi extruendi ostendentem, imitaturus Hebr. 8: 5. esset. Potuit adjecisse, verbalem regnorum delineationem, quæ eorum gloriam, divitias, potentiam, autoritatem &c. suamque in ea potestatem magnificè jactitabat. Ut ita Christi in montem sublimem deductio, merum artificium & lusus fuerit. Siquidem pleraque Christo illic ostensa, eadem facilitate in profunda valle monstrari potuerint. Quanquam & hoc considerandum, quod nec acies oculorum Christi: nec quousque ars Optica, spiritus sagacissimi industriâ provehi queat, definiri possit. Sicuti nec ante microscopia & tubos adhibitos, explicari potuit, qui distita corpora, imò etiam a tergo nostro sita, graphicè visui objici queant. Cum denique vastarum, distitarum, plurium regionum contemplatio, sine mora fieri nequeat: non repugnamus illis, qui verba *ἐν στυμῇ χροῦν*, non angustissimâ significatione, de puncto Mathematico, sed tritâ phrasi sumenda monent. Nimirum hoc tantum velle Lucam, *parvo tempore* (ut Syrus reddit) à *μυριοτέχνῃ* facta & dicta: ut Plutarchus *στυμῇ χροῦν πᾶς ἐστὶν ὁ βίος*. Festinante tamen procul dubio illo præstigiatore, quò fraudem tegetet.

An etiam
per speciem
aliquam, à
Satana ex
aëre forma-
tam?

XVI. Denique si largimur, non ipsa regna mundi, sed aliquod eorum spectrum, à spiritu sagacissimo, oculis Christi fuisse objectum, nil ab ejus vel viribus, vel artibus alienum dicimus. Nil indignum Christo concipimus, si dicimus eum hoc permisisse. Nec enim id Christi sanctitati, Majestati, sapientiæ, magis detrahit, quàm quod à Satana tentari passus est. Rem Christo indignam diceret, qui contenderet, Christum (cui profunditates Satane omnes patentissimæ & notissimæ erant) spectrum hoc ipsa mundi regna esse, suspicatum fuisse. Scelestum esse, qui vitrum pro gemmis, & carbones pro
car.

carbunculis offerat, quis negat? Probus tamen is esse potest, cui hæc ostentantur. Quin, hujusmodi occasione, prudentiam, peritiam, & ἀγχιονίαν suam aperire potest. Cæterum oculi fenestra aliqua sunt, per quam Satanas animam subire, & subigere molitur: & reliqui sensus janua sunt, per quam aditum in mentem quarit. Ea proponit quæ sensibus suavia sunt. Objectis his sensus movet, sensus abripiunt mentem: quod cum fit, sensus non jam amplius metatores, aut janitores: sed (ut ille ait) corruptores mentis sunt. Eandem tegulam Christo injicere conatur, sed frustra. Regnorum gloria per Satanam objecta, Christi oculos illicere & tangere, eorum cupiditas animum cœlestem pungere non potuit. *Habuit Christus* (ut Calvinus loquitur) *communem nobiscum sensum, non autem appetitus incompósitos.* Satanas est ὁ ἀρχὼν τῆς ἐξουσίας τῆ ἀέρος, Eph. 2: 2. princeps qui potestatem aëris habet, & imperium in eo (Deo in omnibus obnoxium) exercet. Illam in procellis, tempestatibus, aliisque effectis realibus in aëre ciendis: tum in Φαντάσμασιν ac spectaculis variis in eo exhibendis: aërem in objectum conspicuum cogendo, condensando, hanc aliamve figuram ei imprimendo, colorem qui ejus instituto convenientissimus est, ei affingendo: quod ut in Ægyptiis ranis factum esse, Clariff. Ligfotus suspicatur, ita supponit, *aëream horizontem oculis Christi à Satana objectum, tam gloriosâ & splendidâ regnorum & ordinum & divitiarum facie vestitum, ac si vel ipsa regna simul cum tota eorum gloria revera perspexisset.* Quanquam autem Satan hanc larvam pro reali exhibuerit, Christus tamen præstigias ejus facilè subodoratus est. Cæterum animadvertenda hæc contraria Dei & Satanæ de mundo judicia: & suggestiones adversæ. Deus mundum, terrena, præsentia, curâ & votis nostris inferiora esse docet, & necessariis argumentis convincit à nobis contemni debere 1. Cor. 7: 3 1. 2. Cor. 4: 4. 1. Tim. 6: 9. 1. Joh. 2: 16. 17. Satanas ea in majus extollit. Deus suos ab illis avocatur: & ut periculosa, possidentibus subinde eripit, multis denegat. Satan eorum fitem incendit, habentesque, vel habere gestientes, ad maxima vitia pellicit.

XVII. Tam insigni ostentationi Christo factæ, eidemque tam graphicè & versutè propositæ, accedit Satanæ insolentia & audacia, omnes æqui limites excedens & proculcans. Complectitur ea *assertionem mendacem: promissionem perfidam: conditionem blasphemam.*

Sive,

*Mendacium
Satanæ, de
Regnis mundi
sibi tradit.*

Sive, tentationem ad avaritiam, ambitionem, & idololatriam. *Asserit* Satan multa: *ἐμοὶ παραδέδοται, καὶ ὃ ἐὰν θέλω δίδωμι αὐτῷ.* Luc. 4:6. Omnia mendacissimè. Rectè hæcenus Satan, quòd quæ habet, non à se habeat, sed aliunde *acceperit.* Deus solus omnium Dominus proprietarius. Solus Deus conscientiam nostram convenire potest, *Quis ἀπέδωκεν prior dedāt ei, & restituetur ei?* Rom. 11: 35. Juri etiam congruit, ut quæ, quamvis donatione mea sunt, in mea potestate ita sint, ut *dare possim cui libet:* cùm aliis nihil in ea juris sit. At quid vaniùs dicere potuisset Satanas, quàm *primò,* sibi *omnia mundi regna* donata? Quando verò, & à quo? *Deinde se ea dare posse cui velit?* i. e. non nisi ejus beneficio obtineri posse. Cujus autoritate id sibi vendicat? Ita verò sibi arrogat quod Christi erat. Huic *potestas omnis data in cælo & in terra,* Matth. 28: 18. Non à Satana, sed à Deo Patre. Matth. 11: 27. Non gratuito beneficio, sed naturæ prerogativâ. At eiqui nihil omnino rerum possidet, nulla est in regna mundi potestas. Et Deus terram filiis hominum ita dedit, Psal. 115: 16. ut solus *regna det cui vult,* Dan. 2: 24. 4: 22. 32. 5: 21. *Cujus jussu homines nascuntur, hujus jussu & reges constituuntur: apti his qui ab illis in illo tempore regantur,* Irenæus V. 24. inquit. Diabolo autem non *regnum,* sed flamma ignis destinata: *gloria ejus & pompa,* caligo. Domicilium ejus cœlum erat. Postquam id reliquit, domicilium ei non in terra, sed in *carcere* à Deo assignatum. Qui regnum dare potest cui vult, ipse rerum in eo gerendarum arbiter est. Sed Satanas *catenis* jam *alligatus,* extra carcerem vagatur: non pro suo, sed Domini nutu, qui judicia sua per eum exercet, Matth. 25: 41. 2. Petr. 2: 4. Jud. v. 6. Ejus ergo sunt omnia, ut omnia sunt Iyctoris, qui, quæ in domo rei sunt, convasare, fisco tradere, aut perdere debet. Manichæi Diabolum, eò quòd se *Dominum omnium regnorum Mundi* mentitus est, Mundi Creatorem: Anabaptistæ autem, exinde quòd Satanas regna mundi sibi data fingit, cum facultate ea pro nutu distribuendi, conficiunt eorum administrationem homine Christiano indignam esse: adeoque ex mendacissima Satanæ ostentatione, & præmissis nugacissimis, conclusiones & Deo, & potestatibus ab eo constitutis. quàm maximè ignominiosas eliciunt. Piget id pluribus persequi. Cui lubet consulat Spanh, *Dub. Evang. LXIV. § 2, part. III.*

XVIII. Nec

XVIII. Nec omnino tamen frustra Satanas potestatem in omnia sibi ^{Potestas} datam jactat. En tibi verba Apoc. 13: 2. sq. ^{Draconis &} Draconem dedisse Bestiæ ^{Bestiæ.} potentiam suam & thronum suum, & potestatem magnam. v. 4. Bestiæ ^{Bestiæ.} huic datum os, loquens magna & blasphemias, v. 7. Et data est ei potestas in omnem tribum & linguam & gentem. Bestia hæc dubio procul ille est, qui Deus in terris, Princeps regnum, alter Deus in terris, audire amat. Qui se ad Divinitatem sublatum, in societatem individue Trinitatis assumptum, sibi acclamantes fert, ipseque nonnunquam crepat. Qui infinitam potestatem sibi vendicat: divinam majestatem, & voluntatem Dei (& per consequens Papæ, qui sit ejus Vicarius) esse primam & secundam causam omnium corporalium & spiritualium motionum. Cui occiditur: Tibi data est omnis potestas in cælo & in terra. Is de quo Mussus in Rom. XIII. Ipse est in cujus dominio omnia sunt posita, & non est qui sua possit resistere voluntati. De quo Bellarminus de P. R. V. 6. & Quantum, scribit: Potest mutare regna, & uni auferre, & alteri conferre. Quem plus semel hanc potestatem usurpasse, Gregorii VII, Bonifacii VIII, omnium, Henricis, Fridericis, Ludovico Bavaro, Imperatoribus, Elisabethæ, Henrico IV. aliisque Regibus se opponentium Pontificum, Historiæ evincunt. Bulla etiam, quâ Alexander VI. A. 1493. lites inter Reges Hispaniæ & Lusitaniæ, de utriusque Indiæ Dominio litigantes, componere ausus: quâ Apostolicæ gratiæ largitate, motu proprio, nostrâ (inquit) merâ liberalitate, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes insulas, & terras firmas, inventas & inveniendas, detectas & detegendas, versus Occidentem & Meridiem, autoritate Dei nobis concessâ, cum omnibus Dominiis, societatibus, &c. vobis &c. in perpetuum donamus &c. Insolentia hæc Alexandri meritò notatur à Francisco à Victoria, in Releç. Sacr. cit. Hornb. Conv. gent. p. 6. De Bulla Alexandrina fusiùs agit Vir de historico studio, & omni re literaria longè meritisissimus, Christoph. Becmannus, Hist. Orb. Terar. P. II. C. 1.

XIX. Hæc tentatio tantò periculiosior, quòd nec spe futuro-^{Vanissima} ram, i. e. eorum utilitate, quæ virtute Christi concilianda erant, erigit, ^{Satana præ-} ut prima: nec præsentis periculo terret, ut altera: sed tum præsentis gloriâ ^{missio.} & divitiis allicit: tum promissione præsentis præstationis delectat. Pollicetur enim Satanas Christo exhibitionem monstrorum. Hæc omnia tibi dabo, Matth. 4: 9. Tibi dabo omnem hanc potestatem, & gloriam istorum (Regnorum). Tua erunt omnia, Luc. 4: 6. 7. Proposuit hæc

Christo esurienti, nudo, *non habenti quò reclinarè caput*, Luc. 9: 58. Huic suggerit, facili occupatione, regnorum Mundi caput constitui posse. Eum metiens pede ac modulo hominum carni & mundo emancipatorum, qui omnia commodis suis æstimant, adedò quidem ut Regni; quid verò Regni? casulæ: etiam numuli causâ, omnia sacra profanare religioni non ducant, & utròque crure huic luto ita immerfi sunt, ut nihil magni ducant, cui pompa sæculi splendorem non conciliat. Adedò quidem ut Judæi ipsum Messiam ex hoc caractere æstimaverint; Jesumque eo destitutum, stultissimè simul & scelestissimè rejecerint. Ad quam fortassis insaniam alludit Satan, eumque Dominum, & caput regnorum Mundi, Regibus inquam mortalibus similem, constituere pollicetur: talèmq; omnino reddere, qualem Judæi increduli, se ipsis pleni, Deo & hominibus exosi peroptabant: quasi Messias esse non posset, qui non Regnum vel unum vel plura *de hoc mundo* possideret. *Impiè* verò omnia. *Omnia hæc*, & plura ac majora Christo à Patre destinata erant: non tantum sublunaris Mundi, sed & cœli Dominium, Luc. 2: 29. Non tamen ut Satan volebat, absque passione, sed *per passiones ingredi* debebat *in gloriam suam*, Luc. 24: 26. Satanus autem pro versutia sua, eum magnificis ad speciem, sed si rem se ipsâ æstimes, puerilibus promissis, à passione, quin ab ipso Deo alienū, & gloriâ ei promissâ indignū reddere conatur, Matt. 16: 22. Nihil non Christo pollicetur, quò cœli & terræ Dominus, utriusque jacturam faceret. Deinde, *stultè*. Christus *cùm dives* esset, *propter nos pauper factus*, quò nos ejus *paupertate ditesceremus*. 2. Cor. 8: 9. Hac hora superata, & quia Filius, & in præmium tantæ humilitatis, *heres omnium*, à Patre declarandus erat, Hebr. 1: 2. Ut Dofoni illi dicere potuerit: *Mæa sunt omnia hæc* &c. Si regna desiderarem, *non dicerem Tibi*. Nam *mæa est habitabilis*, & *quicquid in ea est*. Psal. 50: 19. sq. Denique, *species* (ita Calvinus) *tentationis fuit, ut hereditatem quam Deus Filiis suis* (ipsique Filio suo *ιδίω*) *promisit, aliunde Christus quam à Deo ipso peteret*. Ita verò Satan mortalibus illudit. Ostendit visibilia, quò invisibilibus exuat: Temporaria & peritura, quò æternis excidant. Mundana tibi promittit, sed ea animæ tuæ, universo Mundo potioris Matth. 16: 26. exitio, compensari sibi vult. Hæc Satanae liberalitas! Se bonorum diribitorem & fontem jactat, quò homines à Patre *luminis*, à quo solo *omne bonum donum*, Jac. 1: 17. ad se pelliciat, persuadeatque

que inutile esse. Deo servire, Mal. 3: 4. dum ipse *avθpoc*, stercora, & vilissima quævis, auri promissi locopræstat. Atque hujus vestigia premit meretrix magna. Quos rationibus hodie insinum suum pellicere, & in pistrinum Rom. reducere nequit, eos mox Episcopatum, Galerorum, & quarum non dignitatum? spe maectat, & utinam non expugnet! Calvinus Harm. p. 71. *Nobis, ait, quotidie cum eadem impostura luctandum est: quod & singuli fideles in se sentiunt, & in tota impiorum vita clarius perspicitur. Nam etsi omnia nostra præsidia, opes, commoda, in Dei benedictione constituimus, titillant tamen nos subinde, & pelliciunt sensus nostri, ad querenda Satanae subsidia: ac si unus Deus non sufficeret. Bona autem mundi pars, Deo jus & imperium terra abdicans, Satanam sibi fingit bonorum omnium datorem. Unde enim fit, ut malis artibus, & rapinis & fraudibus, ferè omnes se addicant, nisi quòd in Satanam transcribunt, quod Dei proprium erat, sua benedictione ditare quos visum est? Ore quidem panem quotidianum dari sibi à Deo postulant, sed oretenus: quia Satanam præficiunt distribuendis totius Mundi divitiis.*

XX. Nimirum Satan genium humanum gemino artificio agredi solet. Cum enim Deus hominis animum melioris boni desiderio intus incenderit: & foris gratiosâ promissione eundem ad se alliciat, Satan hoc desiderio hominis abuti, concupiscentiam ejus corrumpere, solidi boni ideam in eo pervertere, imò extinguere, & specie evanidâ fascinare solet. Est autem homo his insidiis tamdiu obnoxius, quàm dicere cogitur: *Nondum accepi, neque jam consummatus sum, sed persequor: ad ea quæ antè sunt, me superextendens*, Phil. 3: 12. 14. i. e. quàm diu hoc mortalitatis stadium ei decurrendum est. Alterum est, quòd idem sagacissimus spiritus, singulorum *σοτην*, mores, &c. observat, escam cujusvis genio aptissimam eis propositurus. Cujus artis specimen in ipsis Protoplastis, non sine successu, nobis universis tristissimo, edidit, hominem majoris gloriæ ostentatione, in vanissimum animal gloriæ convertens, quod sibi relictum, irrequieto studio, per stulta consilia, insolentes conatus, inexplebilem ambitionem, in æternam ignominiam præcepit. Atque heic animarum ille venator, Æmulos habet Jesuitas, de quorum Patriarcha Maffejus *vit. Lojol. Lib. 3. c. 11. Ignatius mira fuit solertia in sollicitandis mortalibus, & à Diaboli servitute ad Christi obsequium traducendis: ac quibus artibus Demon ad animarum perniciem utitur, easdem ipse, quoad liceret ac fas esset,*

Satanica
rum Tentationum
genera
mina base.

ad hominum salutem transferebat. *Voluntates ac naturas eorum quibuscum ageret, festinè odorari, ambitiosis splendida, avaris utilia, voluptuosis jucunda, proponere, & suo quod ajunt hamo vel esca piscari.* Lepidè! scilicet Christus & Apostolis, idoneam rationem *mortales à Diaboli servitute ad Christum traducendi, vel non tradiderunt, ut Satanà Præceptore imbibenda, & ex ejus disciplina petenda sit: vel ea quam illi tradiderunt, iners est, & qui eam sequuntur, cucurbitæ & umbræ sunt: qui Satanæ Methodum sequuntur, neque gloriæ & amoris Dei studio, & per abnegationem sui ipsius, sed voluptatis, sed utilitatis, sed pompæ illicio animas inescant, sapientiæ Magistri sunt, & mortales ad veram salutem transferunt! Sed cui lubet, Commentarium in verba Maffei repetat, ex Alphonfi de Vargas Relat. ad Princip. p. 275. sqq.*

Flagitiosa
Sasana à
Christo fla-
gisatio.

XXI. Quâ conditione Satanas Christo tanta promittit? ἐάν προσὼν προσκυνήσῃς μοι, si prostratus adoraveris me, Matth. 4: 9. Si adoraveris coram me, Luc. 4: 7. Quia coram Diabolo adorare, est ipsum adorare Diabolum. Unde discere deberent ἐικονολάτραι, quòd coram imagine adorare, sit ipsam imaginem adorare, adeoque cultus terminativi & relativi distinctio σοφὸν φάρμακον, & ficulneum verè præsidium sit. Quanquam ne Relativus quidem, Deo ipso iudice, eos ab Idololatria absolvat, Exod. 20: 4. Cæterùm Satanas, qui se hæcenus in Angelum lucis transformasse videri queat, denique larvam exuit, & Apostasiam, cujus ipse reus, ipsi Dei Filio affricare voluit. A levioribus exorsus, in gravissimis desinit. Permissu Dei calcaneum ejus morsurus erat, jam verò caput ejus petit. Hominem allicit spe commodi, & ambitionis stimulo pungit, quasi ejus comoda seriò quærat: tandem se denudat, quòd eum mancipio & nexu sibi addicere velit: non nisi sibi litans. Postulat à Christo: a. prostrationem coram se: b. sui adorationem. Regna hæc magnifica, possidentur ab eis qui mihi serviunt. Iis potièrè, non humiliatione & abjectione tui, aut obsequio, tuo Patri præstando: sed si mihi operam navaveris. Hem! Quantum nefas, Creaturam à Creatore ad aliam creaturam, deficere! Nunc Satan à Creatore cultum sibi deferri expetit. Non tantùm civilem, qualis prostratio esse potest, sed adorationem, quæ religiosus cultus est. Προσκυνέω, ut radicale κύω (unde per Epenthesein τῆ ε, κύω: & per Epenthesein τῆ ν, κυνέω) denotat osculari, vel etiam adosculari. Qui religiosè colebantur, eminus dextræ oscu-

osculo Job. 31: 27. honorati: cominus, velipsis vel eorum imaginibus, ore admoto (unde *adorare*) osculum appressum, 1. Reg. 19: 18. *priori digito in erectum pollicem residente*, juxta Apulejum. Disertè Cicero Orat. 9. in Verre, de statua Herculis Agrigentini: *Rictus ejus & mentum paulò attritius: quòd in precibus & gratulationibus, non solum venerari eum, sed & osculari solent.* Idem $\omega\epsilon\sigma\kappa\upsilon\upsilon\epsilon\upsilon\eta$ catachresticè, de corporis totius in terram prostratione, honorem alicui habendi causa, adhibetur: quod h. l. per $\pi\iota\pi\tau\epsilon\upsilon$ indigetatur. Apud LXX. $\omega\epsilon\sigma\kappa\upsilon\upsilon\epsilon\upsilon\eta$ respondet Hebræo $\eta\sigma\tau\eta\tau\eta\tau\eta$: quod & solum, & cum קדד vel קדע vel פני על נפל tum de civili, Gen. 43: 28. 1. Sam. 25: 23. Ezech. 3: 2. 8. tum de religioso cultu Gen. 24: 26. 2. Chron. 29: 29. Psal. 95: 6. usurpatur. Cùm Satan Christo dicit, si *prostratus, me, vel coram me adoraveris*; non adèd osculum quàm prostrationem, & religiosam quidem postulat. Honorem soli Deo debitum, à Satana expetitum, ex Christi responsione liquet. Qui jam tunc cùm Christus in arenam descenderet, scire poterat, Christum Filium Dei esse, duplici strage acceptâ, plenè de eo convincebatur. Jactitaverit se Angelum mortis esse, qui, quanquam potestatem haberet homines interficiendi, tamen & bonus sit, & Christo de Dominatu suo, & potestatem alios vivificandi concedere velit, dum honorem à Christo aliquem accipiat: Nec tamen Angelus bonus adorationem à quavis creatura oblatam admittit, Apoc. 19: 10. 22: 8. tantùm abest, ut ambiat. Nec quisquam bonus & Dei amans, quemcunque Angelum, quâcunque mercede adoraturus est, Col. 2: 18. Hunc tamen honorem Satanas ab ipso Dei Filio sibi deferrit: suo indicio se prodens, etsi Antagonista jam satis notus. Primâ tentatione Protoplastis divinitatem promissit. Hâc eam sibi ipsi arrogat, tanquam absque controversia sibi competentem. Pater Christum *ab omnibus Angelis adorari* vult, Hebr. 1: 8. Ergo non potest non malus esse is Angelus, qui à Christo vellet adorari: ut cùm omnes subditi Regi parere debeant, non potest non nebulo esse, qui velit sibi à Rege ministrari. Nimirum Satan, qui se ipsum & hominem, ambitione perdidit, sibi semper similis. In miserrima servitute & tristissimo statu, fastuosus: Eodèmq; morbo, Filium Dei corrumpere sagit.

XXII. Et tanta quidem etiamnum Satanae ambitio, ut haud eum pudeat inducere homines, ut præterito Deo vero, cultum divinum

Satana
ambitio.

num sibi exhibeant. Hanc insaniam Protoplastis persuasurus erat neque alius Satanæ in omnibus tentationibus scopus, quam memoria & veneratione Dei extincta, sui cultum suadere. Ut enim Deum scire, sapientia; Deum amare, justitia & felicitas hominis: ita Satanæ servitus, omnis miseræ compendium est. Quanquam enim palam, nec æternum Numen abnegat, Jac. 2: 19. nec cultum ei debere inficiatur; utrumque tamen per cuniculos, & varias *methodias* facit. Dum enim adorari vult, & se Deum mentitur, & cultum vero Deo debitum in se transfert. Summè & unice bono Matth. 19: 17. se, qui malus est, præfert: bona vera, eum qui solus *beatus* est 1. Tim. 6: 15. amantibus promissa, sui cultoribus impudens & mendax pollicetur: hoc unice agens, ut qui miserrimus est, alios quosvis in idem infelicitatis balthrum pertrahat. Hanc tamen insaniam, qua nulla major, aliis apertius, aliis tectius, neque uno omnibus ritu suggestit: ante Christum quidem natum, *Regnis mundi*, Deo vero valere jussu: glorificatio Messia, tot gentibus bestiam & imaginem ejus adorantibus, pestem hanc afflavit. Singulari verò numine, Satanæ adorationem, quæ prostratione fieret, exigit. *Casum enim semper suadet & prostitutionem ac depressionem hominis: nec adorari potest sine casu: & quin homo se abjiciat, & infra officium, & infra dignitatem suam. Adorationem etiam externam exigit, ut rem levem & facilem præstito, quum tamen illa nunquam sine gravi casu præstari possit, & præexigat adorationem internam, honorem, fiduciam, spem, dependentiam: ut Clariss. Spanhemii verba mea faciam III. part. Dub. Evang. LXV. 4.*

Christus Satanam increpat,

XXIII. Haud abs ratione Christus, non simpliciter ut hætenus, ad adversarii *ἐντρον* respondet: sed Spiritum pessimum severissima increpatione abigit; addita objurgationis justissimæ, ratione sanctissima. Respondet ergo Christus, tum ad *personam*, tum ad *rem*. Ad *personam*, animo commotiori: *ἄπαγε* (*ἀπίσω με*, Luc. 4: 8.) *Σατανᾶ, Apage*. In gemino alio conflictu, Zach. 3: 2. Jud. v. 9. Angelus Jehovæ eidem dixerat: *Increpet Jehova Te, Satan*. Quia nondum Filius hominis erat (vid. Joh. 5: 27.), Judicium nondum suo, sed Patris nomine exercere voluit. Jam carne nostra indutus, suo nomine contra eum pronunciat: *Apage. Vox & abominantis, & Imperantis. Christus inquam, & consilium, & autorem ejus abominatur. Quæ hætenus, inquit, proposuisti, impia: tamen præ his tolerabilia fuerunt. Te.*

Te, qui jam Patrem meum lædis, amplius ferre nequeo. Præcisè etiam *imperat*: similibus suggestionibus sibi deinceps molestus esse desinat: & morâ omni abruptâ hinc faceffat. Disputatorem tam impiis suasionibus importunum audire diutiùs non sustinet. In privata injuria æquissimum & patientissimum esse par est: in majoris momenti rebus, quæ gloriam Dei notoriè obscurant, quæ vinculum inter Deum & nos abrumpere idonea sunt, cùm fundamentum in periculum adducitur, quicunque Deum amat impatiens est. Ne quicquam verò benevolentiam Christi Adversarius conciliabat, tot & tam gloriosorum regnorum pollicitatione. Eodem spiritu aguntur, eandemque generositatem exercent, qui Christi sunt. Nequidem universi Mundi lucro ipsis blandiente superantur, & ab obsequio Christi, etsi cum cruce conjuncto avelluntur. Elavus, Judas, Hypocritæ, pretio quovis conducuntur, & in castra Satanæ transferuntur.

XXIV. Ad Rem respondit denuò Verbis Scripturæ, quam non tanquam junceum, sed verè æneum clypeum opponit: cujus pharetra, telis inexhausta: quamque nullius Adversarii pertinaciâ nobis extorqueri concedere debemus. Et Mosis quidem verbis Christus jam tertium militat. Equidem etiam ex aliis *Prophetis*, nec non *Psal-
mis*, fidem verbis subinde suis asseruit, Luc. 24: 27. 44. Cùm tamen Moses Prophetarum choragus fuerit, ejus autoritatem in prima acie collocavit, eademque operâ cæterorum virorum *θεοπνεύτων* scripta, in throno collocavit. Cùm Judæi toties Christo objecerint, Mosen ab eo desereri, Christus in disputationibus adversus eos Mosen arbitrum constituit. Vid. Joh. 5: 45. sqq. Deuteronomium verò, (cujus verbis Christus in hoc conflictu semper usus) tanquam *משנה repetitio*, & medulla reliquorum scriptorum, & Regibus & populo Deuter. 17: 18. 31: 11. singulariter commendatum, Christi etiam exemplo, reliquæ genti in pretio esse debebat.

XXV. Quid ergo Christus? Quò meminimus, in certamine sacro, jugulum causæ esse inprimis petendum: *Scriptum est enim*, inquit, *Dominum Deum tuum* *θεοσκυνήσεις* adorabis, & ei soli *κατεύ-*
σεις *servies*, Matth. 4: 10. Luc. 4: 8. Equidem Deuter. 6: 13. 10: 20. *תירא ואתו תעבוד* *Jehovam Deum tuum timebis* (φο-
βήσῃ LXX.) *illi servies*. Matthæus & Lucas, unò ore, in priori colo, vocem *timebis*, cum verbo *adorabis*, commutant. In postero

D

re

re membro addunt, *soli*. Notum est, in N. T. multa V. T. loca ita allegari, ut uno alteroque verbo aut apice immutato, rei & scopo cujus gratiâ citantur, accommodentur: cum in Scriptura, non cortex sed nucleus, sensus non verba animadvertenda sint: quod nostri seculi Sophistas, syllabarum aucupes, in ruborem agit. Porro quis nescit, solennissimum esse Spiritui S. omnem cultum Deo debitum non tantum internum, sed etiam externum (qui sine interno nullus, & cultum populi Dei, qui Deo suavis odor est, à cultu hypocritarum, quem Deus abominatur, distinguit), nomine *Timoris*, i. e. Reverentiæ exprimere? Quem verò ita *revereri* & colere convenit, ille *adorandus*, ut tum Spiritum *timoris* sui (Jes. 11: 2.), tum reliqua omnia ad vitam & pietatem necessaria, nobis sufficiat: ejusdem *Phœzæ præsidium* contra omne malum implorandum, rogandusque est, ut nos liberare ab omni malo dignetur. Omne quo fruimur bonum ei acceptum ferendum, & gratiæ de eo agendæ: quicquid à nobis imperat, lubenti animo promptèque præstandum: ei (quicquid ad ejus gloriam à nobis proficisci potest, quicquid ad regnum ejus promovendum conferre possumus) obsequiosè præstandum. Eidem eodem nomine corpus nostrum consecrandum: animi in eum affectus & pronitas, gestibus externis demonstranda. Scilicet *Adoratio* & *Timor* religiosus cohærent. Adoratio enim *Timoris* illius fructus, timor adoratione nutritur, stabilitur, & vim ab ea acquirit. Adoratio illi debetur cui timor. At timor, juxta legem, illi demum competit, cui Adoratio. Quem times religiosè, illum adoras: quem non adoras, illum non times, Luc. 12: 4. 5. Adoratio humilis ex timore Dei proficiscitur. Timor ex fide, idè adorationi jungitur. Cui timor Deo debitus non tribuendus, ei neque signum adorationis debetur. Equidem *θεοκύνησις* aliquando latius de cultu civili, adhibetur; tamen quia h. l. respondet vocabulo *timor Dei*, religiosam & internum & externum, i. e. religiosæ adorationis cultum procul dubio exprimit.

*Adoratio,
Jehovæ,
eique soli
debetur.*

XXVI. Hujusmodi reverentia debetur *Jehovæ*, ratione *perfectiōnis naturalis*, seu essentialis: & *gratuitarum promissionum*, quarum liberalissimus promissor, & immutabilis præstator est. Et quia *Deus tuus*: qui se *Tibi Deum*, i. e. gratiosum, liberalem, omnipotentem præstitit, præstat, & præstaturus est: quem tu talem agnoscis, & cui

CEU

ceu tali homagium præstitisti. Huic soli cultus ille convenit. Et si enim Moses exclusionem hanc non exprimit, Christus tamen eam subintelligendam evincit. Cum enim de perfectionibus, honore, aliisque quæ ad Deum pertinent, sermo est, exclusivè semper intelligendus est, etiamsi particula exclusiva non exprimitur. Non semper syllabæ, sed rei ipsius natura consideranda, & iudicium inde formandum. Sanè & ipse cultus de quo Moses h. l., ubique Deo soli à Mose vindicatur: & iuramentum, quod tanquam pars huius cultus à Mose proximè subijcitur, exclusivam hanc postulant. Et quia nemo potest duobus Dominis servire, Matth. 6: 24. consequitur illi, cui serviendum, esse serviendum soli. Id viderunt LXX. Interpp. Græci, qui & ipsi, & quidem in quibusdam exemplaribus utrobique, particulam *μόνος* sistunt. Post eos Josephus in præcepti explicatione, eandem particulam adhibet. Denique Samuel disertè, 1. Sam. 7: 3. *יְהוָה יְהוָה* *servite ei soli*. Ut mirum non sit, quòd Christus hanc additionem, quia eam res poscebat, non aspernatus sit.

XXVII. Qui cultum religiosum, inter Deum & creaturas dividunt, rimam quærunt in verbo *λατρεύω*. Christum *λατρείαν* soli Deo vindicare. At, sanctos Angelos & homines, eorumque ossa, vestes, statuas &c. non *λατρεία* sed inferiore cultus genere, quod *δουλεία* & *ὑπερδουλεία* nuncupant, à se affici. Ita Pagani *θερησκείαν* & *θεραπείαν* distinxere. Sed meminerint, Christum loqui de *θεοσκυνησεί*, cultu religioso. At istorum *δουλεία* etiam *θεοσκυνησεί* cultus religiosus est. Deinde, *θεοσκυνησεί* voluit Satan, autor agnosci bonorum, quorum diribitor solus Deus. At idem fit in cultu creaturæ Pontificio. Ergo cultus quem Papistæ creaturis tribuunt, ab eo quem Christus soli Deo deferendum dicit, nil differt. Porro, τὸ *λατρεύσεις*, non diversum esse à *δουλεύσεις*, patet. Moses sanè (teste Christo) de cultu loquitur qui Deo peculiaris est. At Moses loquitur de *δουλεία*. Ergo *δουλεία*, quæ cultus religiosus est, ad solum Deum pertinet. *Δουλεία religiosa*, est *λατρεία*: & *λατρεία* exercetur religiosa *δουλεία*. Ita quidem *οἰκίαι* *ἱερῶν* redditur per *λατρεύειν*. Adde, quem admodum h. l. cultus Deo debitus *δουλεία* dicitur, ita Rom. 1: 25. cultum religiosum creaturæ exhibitum, *λατρείαν* nuncupari. Quintò τὸ *λατρεύειν*, tantum tricies, *δουλεύειν* tricies novies, adeoque frequentius de cultu Dei dicitur. Vicissim τὸ *λατρεύειν* Deuter. 28: 48. & passim:

passim etiam à profanis scriptoribus, non minùs de cultu civili & œconomico, quàm δελείων adhibetur. Quid? quod δελεία plus dicit quàm λατρεία. Hoc enim réverentiam, illud insuper subjectionem denotat. Denique cultus idololatricus, Gal. 4:8. per δελείων describitur: quique iis, qui non sunt Dii naturâ, *serviunt*, dicuntur *Idololatrae*. Ut cultus religiosus creaturis, tanquam δελεία exhibitus, habeatur pro latria: & ab idololatria non excuset. Etiam Hefychius & Glossarium, λατρείαν per δελείαν explicant. Ipse Bellarminus, qui *de Beat. SS. Lib. 1: 12.* dixerat, λατρείαν in facris non adhiberi, nisi de cultu sanctorum, se c. 14. ipsum corrigit: & asserit, has voces apud profanos æqui pollere. *Schola Theologorum* (inquit idem Bellarm. l.c. cap. 12.) *excogitavit distinctionem de latria & dulia*. His Magistris potuisset Satanas excipere, se προσκύνησι quidem petere: verùm non eam quæ λατρεία, sed quæ δελεία est.

An Satanas
siquam
Summum
Numen,
summo cul-
tûs genere
adorari vo-
luerit?

XXVIII. Ajunt, Satanam λατρείαν sibi voluisse deferri, & adorari gestivisse, ut summum bonum, fontemque omnis boni. Creaturas autem sanctas à se adiri tanquam inferiores, Advocatos, Mediatore apud summum. At cultus quem petiit Satanas, ita à Christo λατρεία nuncupatur, ut non tamen à δελεία, ut gradus superior ab inferiore discriminetur. Satanas noluit Patrem nullomodo: se verò ut unicum & supremum Numen, & ut summum bonum à Christo coli: sed sibi aliquid honoris deferri, ut diribitori quidem Mundi, sed qui *potestatem precariam* habeat, à superiore *acceptam*. Paganis idola & pleròsque Deos non sub idea primi principii: sed ut subordinatos colebant, unico Jovi primas ferme assignantes. Porro quid Christus? Num excipit: primæ partes Deo; secundæ, amicis meis, sanctis cœlitibus, & Matri meæ: tibi nullæ debentur? Quin illis & hoc exclusis: *Dominum* inquit, Deum tuum adorabis & Deo *soli servies*. Non λατρεία uni, *adoratio* pluribus: sed adoratio, æquè ac λατρεία uni, *Domino* videlicet *Deo tuo*. Ut illis Bannesi in 2. c. 1. art. 10. *neque expressè, neque involutè Scripturæ docent, orationes ad sanctos esse faciendas*: addere liceat, Scripturas expressè docere, orationes ad sanctos non esse faciendas, vid. Jos. 24:19. 1. Sam. 7:3. Matth. 6:9. 2. Cor. 6:14. sqq. Frustra medium aliquod fingunt per quod Deus salvare velit. Salvat *Jehova per Jehovam*, Hos. 1:7. Ut *per se ipsum* reconciliavit, Hebr. 1:3. ita per se ipsum reconciliatos ad Deum ducit. Et qui san-
ctis

Eis tantundem in cultu tribuunt, ac Deo, eos pariter ac Deum tanquam summum numen colunt: nec inferiorem, sed supremum cultum eis exhibent. Cæterum ut Hobbefianum commentum, quod Spiritus tentator, ipse Spiritus S. fuerit, suo loco inde retudimus, quod uterque Spiritus Matth. 4: 1. seorsim commemoratur: ejusdemque vanitas ex Tentatoris telis, & Christi exceptionibus liquet: ita porrò sole meridiano clariùs refellitur ex ratione quâ Christus ei adorationem denegat. Idemque increpatio infecuta evincit.

XXIX. Catastrophe totius actûs, Marc. 1: 13. in hæc verba *Christi de* constringitur: *Et Angeli ministraverunt ei.* Matthæus 4: 11. plenius: *Hocse victo-*
Tunc (συντελέσας, finitâ omni tentatione, Luc. 4: 13.) ἀφίσιω omittit eum *ria.*
(ἀπέστη abscessit ab eo re infectâ, ἀχελ καιρῶ Luc. l. c.) Diabolus: *Et*
ecce Angeli accesserunt, & ministraverunt ei. Catastrophe ergo duplici nomine lata est: faciémque *victoria & triumphi præfert. Victoria*
Christi notoria. Satan, per tot sæcula victor visus, jam victus toto orbe
promulgatur. Et quidem (Aretii verba sunt) statuitur hic primum
trophæum pro humano genere adversus Diabolum. Victus ab it: manet Christi.
Terga ergo vertere, & turpi fuga latebras quærere cogitur hostis.
Ita increpatio Christi semper cum successu junctâ. Sive Diabolus,
sive mare, sive intempestus aër, sive morbus incurabilis ab eo
facessere juberetur. Hæc vis illa & efficacia verbi divini, quâ quicquid
lubet, omne illud cujus causâ mittitur, absque tergiversatione
& mora se protinus Deo sistit. Psalm. 18: 17. & pass. Porrò Christus
quidem, quippe Dominus & victor, solo imperio, omnia efficit: nos
autem precibus, & quidem in nomine Christi conceptis (quia in nobis
nulla vis, 2. Chron. 20: 12.) & Christi in certamine vestigia religiosè
prementes, voto potimur. Cæterum magna commoda ad hominem
ex victoria Christi. Qui hucusque de cælo tantum in terram ejectus fuerat,
terrore etiam de terra ad inferna eum migrare Dominus jubebat. Aug.
guſt. Mirab. scr. l. 3. c. 6. Hoc etiam Satanæ pudibundo discessu, si unquam,
apricum redditum est, principem Mundi in Christo nil reperisse
Joh. 14: 30. nihil ejus inconstantia, quæ aditum ei dedit in Protoplastis:
nihil veneni quod Evæ inspiravit: nihil corruptionis illius, quæ fomitis
instar ignem concipit, cum Satan ignea sua tela in nos emittit.
Nisi enim sanguine Christi tincti, telorum vim extinguimus, dum
Satan nos aggreditur, conspirant & colludunt cum eo affectus
 quos


quos in sinu gerimus : nos, nisi Deus præsto sit, hosti ut Kehilai Davi- dem tradituri. Ut quoties ferme in certamen à Satana provocamur, vix sine vulnere egrediamur. Unde idem verbum *πειροῦσεν*, quod ut plurimum Adversarii conatum innuit, etiam *succumbere* tentationis de- notare potest, vid. 1. Theff 3: 5. 1. Cor. 7: 5. *Finita omni tentatione*: non tantum ista quam post 40. dierum jejuniu[m] suscepit; sed *omni*: i. e. omnis generis tentationibus: visibilibus & invisibilibus: iustis comi- nus & eminus Christo intentatis, tota Satana phraretra exhausta. Lucas dicere vult: *non prius Christo datam quietem vel inducias, quam ex adu[er]sarij certaminum genere probatus foret*, ut Calvinus egregie. Omni etiam *immediata*. Non tamen omni simpliciter. Etsi enim Christus Satana permittere noluit, ut se posthac tentaret, id tamen passus est fieri per instrumenta Satana, *τὰς ἀρχοντας τῶ αἰῶνος τῆς*, 1. Cor. 2: 6. quorum Pater Satanas fuit, Joh. 8: 44. Imò aliquando per eum, cui inter Apostolos Principem locum dedit: etsi nihil minus cogitan- tem, Satana tamen opus promoventem: i. e. Christum ab obedien- tia Patri promissa, & redemptione generis humani, qua non nisi cru- enta ejus morte fieri potuit, dehortantem. Unde Christus, (quod Stapletonus quidem frustra inficiatur, Maldonatus verò agnoscit,) in Petrum iisdem verbis quibus nunc in Satanam invehitur, Matth. 16: 22. 23. Unde & illa, *ὑπάγε ὀπίσω μου* h. l. non minus quam Matth. 4. non, *vade post me*: sed, *discede à me*, reddenda. Et Pe- trus quidem ita, à *cogitatione sua*: Satan autem à *comitatu* Christi, dis- cedere iussus. *Ὀπίσω μου*, ambiguè dicitur: & de personis quas Chri- stus sequi decet, Matth. 4: 19. 10: 38. Et de illis, quos Christus fa- cessere jubet. Ita autem (certè à S. Luca) laudatur Christi ab hoste reportata victoria, ut tamen non à militia absolutus, sed induciae tantum ei concessa dicantur. *Abscessit ad tempus*. Enimverò cum Christus labente Ministerio suo publico, toties *tentatus* legitur, quid fuit, nisi continuatio telæ à Satana in deserto coeptæ? Denique ulti- ma passio, quam Christus *horam & ἐξουσίαν potestatem tenebra- rum* cognominavit, Luc. 22: 53. 14: 30. fuit dirissima tentatio, & ipsa illa *contritio calcanei*, Protoplastis insinuata, Gen. 3: 15. Quam serpens quia hora nondum venerat, in deserto attentare ausus non est. Non feliciori tamen hostis exitu, nec majori gloria, quam con- gressus in deserto. *In cruce enim Christus hostem hunc exuisse* dici- tur,


tur, Coloff. 2:17. Quid ita? Qui a tunc maximus & difficillimus cum eo conflictus fuit, & insultus ejus in Christum dirissimi. Ita Deus dat quidem spatium ad respirandum. Nec tamen gravi tentatione feliciter superatâ, in utramque aurem dormiendum, sed semper vigilandum. Nunquam feriat Satan. Semper novas occasiones quærit, novâsque copias colligit: quod in semine etiam serpentis notatur, Jes. 57: 20. *Deus suos ex immodica contentione relaxat, &c. Minimè autem illis parcit, ut ignavia indulgeant, sed ut tantùm se comparent ad novas pugnas*, ut cum Calvino loquar. Ἄνθρωπος φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται, *vir fugiens certamen restaurabit*, dictabat Demosthenes: Copias scil. suas recollecturus, & paratior ad certamen rediturus. Sed nec intempestivè Tertullianus: *Qui fugiebat, rursum preliabitur: ut & rursum forsitan fugiat.*


XXX. Ad *Triumph* gloriam referimus, quòd hoste recedente, *Angeli accesserunt, & Christo ministrârunt.* Tam miranda rerum ^{Et Triumphus.} metamorphosis, ut S. Matthæus ad ejus meditationem gnavam excitaturus, præmittat particulam *Ecce.* Impletum etiam illud Ps. 91: 11. Non dubitamus eos, Agonis ab Herò suo tam viriliter, tam constanter, tam feliciter gesti, quasi de loco superiori, ut in Hieronicis, spectatores fuisse: partemque exinanitionis ejus fuisse, Apostoli verbo uti potuisse, 1. Cor. 4: 9. *Theatrum facti sumus Angeli.* Nimirum ut idem Calvinus scitè: *Interdum Dei gratia, quamvis præsens esset, eum secundùm carnis sensum latuit.* Non autem ante finitam luctam Angeli accessere, ne viderentur ei suppetias venisse. Poterant hostem à congressu arcere. Sed Christus maluit calicem hunc a Patre sibi propinatum bibere, & Satanam vincere sapientiâ, quemadmodum tempore ultimæ passionis patientiâ: hosti adeoque imbecillitatem ostendere, eumque confundere. Certamine gloriosè superato, Angeli boni victori applaudunt, lauream quasi triumphalem imponunt, eumque non tantùm præsentia suâ exhilarant, & obsequio ei confirmant, id quod malus Angelus nuper, si non in dubium revocare, saltem caligine involvere voluit, quòd Mariæ Filius sit Filius Dei: quodque eo nomine ab omnibus creaturis, in cælo, terra, & infra terram, obsequio, reverentiâ, osculo Ps. 2: 12. colendus sit. Nam ut tentatio humanitatis, ita Ministerium Angelicum divinitatis demonstratio: illa humilitatis, ista exaltationis Christi speculum fuit. *Triplex personæ Christi divi-*

vinæ


vinæ documentum in historia Baptisati Christi observare licet: Testimonium Johannis: vox Patris; apparitio Spiritus S. Totidem illustra ejusdem rei argumenta, illustre quod enucleamus *αὐτῶν ἀδελφῶν* exhibet: in jejunio: Victoria de principe Angelorum malorum: ministerio Angelorum bonorum, Ecce! ut lux in tenebris micet, & Christus in infirmitate carnis, potentiam Spiritus: in exinanitione, formam Dei: in forma servi, esse *ἰσα θεῶν*: in humilitate, gloriam, *gloriam tanquam unigeniti à Patre*, Joh. 1: 14. ostendat. An verò in Ministerio hoc, Angeli (ut Tentator) visibili specie apparuerint? An Ministerium isthoc obiverint procuratione victus corporei? eoque Christus, finito jejunio, ut Elias ante jejunium, dici poterit, Angelico pane refocillatus? Num Christum de monte deducturi: num jussa ejus capeffituri adfuerint? Spiritus S. non memorat, Quis nescit *δυσκολίας* vocabulum, frequenter de victus procuratione adhiberi? Si verò statuamus, Angelos accessisse quò cibum Christo suppeditarent, oportet ab eo tempore quo Spiritu actus desertum petiit, omni cibo abstinerit, Quantum temporis illius intervallum fuerit, sine temeritate nemo dixerit. Haud tamen verosimile, Tentatione durante Christum cibum sumfisse, Satana scil. ejus patientiâ abutente, & insultibus suis insistente, ne corpori vacare, & consulere posset, temporis morâ patientiam ejus expugnaturus. Sed neque fames, neque repetiti Satanae, impetus, neque temporis mora Christum superare potuit: roburque novum accessit verbis quibus Christus adversus Satanam ex Deuter. 8. animum confirmavit. Annunciationis, nativitatis, sudoris sanguinei, resurrectionis & ascensionis tempore, eosdem Angelos Christo ministrasse, & figura quidem subinde humanâ, ex S. literis liquet. Idem fortassis de iis cum Christo ad judicium redituris divinare licet. Ligetotus Christum ex deserto ad Baptistam: Montacutus cum ad ades maternam reversum, ibidemque ut prius rem familiarem curasse, & privatum aliquantisper latuisse conjiciunt. Has lites quis componet? Cæterum ut vica quam in terra degimus, multis nominibus cum deserto comparari potest; ita cum feris subinde nobis in ea conversandum, sæpe cum eis congregiendum: multis, nec à pane, nec ab aliis rebus (de necessitate cum pane certantibus) instructis: Cui probro feræ sunt à lucta cum Satana ejusque emissariis, nil intentatum relinquentibus, ut nos à Patris obedientia avocent? Quod cum fit, alea nostra eò periculosior, quòd Christo cum externo tantum, nobis etiam cum interno hoste res est. Attamen maeste animis! Ut Christus suâ; ita membra ejus, Spiritus Christi, capitis eorum virtute *ὑπερβῶντες*, plusquam victores, Rom. 8: 37. palæstrâ exhibunt. Certamen jam subeundum sit, mordeat Satanas, & rictu terreat: Christi partes masculè & fortiter tacemur. Si feliciter geruntur, pulso Satanâ Angeli aderunt, officia salutaria præstituri nobis. *Deus sic moderatur omnia, ut vicissim & rebus asperis exerceat probèque militum suorum fortitudinem. Et rursus solatio quopiam invites ad gratulationem & gratiarum actionem, qui Christianorum triumphus est*, Bulling. in h. l. verba sunt. Ministris equidem præcipuè certandum. Sed & illis licet exclamare: *τῶ θεῷ χάρις τῶ πάλτορι θριαμβεύοντι ἡμᾶς ἐν τῷ χριστῷ*, 2. Cor. 2: 14. Satan ab illis tandem recedere cogetur, non tantum ad tempus, sed perpetui, Zach. 3: 1. sqq. Deus autem pacis, hostem non tantum sub nostros pedes conteret, sed abjiciet in ignem æternum ei paratum. Boni autem Angeli durante militiâ nostrâ *δουλοῦντες* utilem præstituri, eâ finitâ in sinum Abrahæ, deportaturi nos & tanquam coarservi, nobiscum Deum laudaturi sunt,











the scale towards document

❧ (47) ❧

plura circa hanc materiam tractata recognoscere
eter modo laudatam Harmoniam Chemnitio-Ly-
& B. HILDEBRANDI A CANSTEIN Harmoni-
o. 653-660. Io. Casp. SVICERI Thef. Eccles. par-
o-713. ISAACI CASAVBONI Exercitat. Anti-Ba-
XII. p. 309-389. cum IAC. CAPPELLI Vindicis
em ERASMI & IO. PISCATORIS adnotationes,
VTII Comment. ad h. l. B. Aegid. HVNNII tra-
cclesia p. m. 233-250. B. Seb. SCHMIDII Petrum
p. 107-147. Io. COCCII Operum tom. IV. p. 29.
is nobis *ὁμολογῆσθαι* est, B. Abrah. CALOVII Vin-
duerfus Hug. GROTHII corruptelas, item plures
ristoph. WOLFIO in Curis philol. crit. ad h. l.
e qq. adlegatos, præfertim *Eliam du Pin* &
Ioannem *Launoium*, commen-
damus.

ὁ δὲ τῶ θεῶ ἐπὶ τῇ ἀνεκδιηγῆτω αὐτῆ δωρεᾶ!

MIO AC PRAESTANTISSIMO
IVVENI,
NI GEORGIO WILLIO
M IN CHRISTO PLVRIMAM DICIT
PRAESES.

gis, CARISSIME WILLI, quod, dum abi-
x academia nostra meditaris, rationem stu-
m specimine quodam publico recepto mo-
on neglexisti. Isto enim documento osten-
vlla molestia mea in ædibus meis, ita non
florentissima academia, per triennium &
te. Dum vero materiam ad disputandam
umenti, vt fatis ardui hodieque scitu neces-
farii,